

JEAN SECOND

ODARUM LIBER (360 vers)

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

JOANNIS NICOLAI SECUNDI ODARUM LIBER.

ODE I. CAROLO V. ROMANORUM IMPERATORI CORONATO.

O_1 v.1 Adeste, magni progenies patris,
 2 Musae, potenti carmina Caesari
 3 cantate, quae fides priorum
 4 hactenus haud tetigere vatium.
 5 Quae saxa rursus, quae moveant feras,
 6 aquasque sistant blanda volubiles,
 7 quae mulceant aures canore
 8 omnium ubique hominum suavi,
 9 gaudete cives, plaudite, plaudite,
 10 gaudete quotquot terra tenet bonos,
 11 curasque tristes, atque acerbos
 12 pellite pectoribus dolores.
 13 Sumpsit sacro debita vertici
 14 post tot moras taudem diademata
 15 ille optimusque, maximusque,
 16 ille vagum domiturus orbem.
 17 Erro ? Anne vati talia fervido
 18 sagax futuri Cynthus indicat ?
 19 Quaecumque suggeris, precamur,
 20 ut Superis rata sint, Apollo !
 21 Et noscat Ortus, noscat et Occidens
 22 unum potentem Caesara Carolum,
 23 quo mitius, clementiusque

24 nil dederuntve dabuntve saecla.
 25 Non si recurrant tempora, quae Jovis
 26 ferunt parentem, falciferum senem,
 27 rexisse, cum Fides, sororque
 28 justa pio superesset orbi.
 29 Ergo querelas ponite lugubres,
 30 ergo repostum promite Caecubum,
 31 haec, haec dies, haec est choreis,
 32 haec rutilis decoranda flammis.

ODE II. DE VERIS DISCESSU.

O_2 v.1 Jam ver praeteriit dulce, nec amplius
 2 parvi caedem Ityli carmine lugubri
 3 plorat Daulias ales,
 4 alta stans super arbore.
 5 Jam solis radio Cancer inaestuat,
 6 jam fessus gelidas cum grege languido
 7 pastor quaeritat umbras,
 8 umbras, frigus amabile.
 9 Et cujus radios ante cupiverat,
 10 vicino nimium plurima Cynthio
 11 nunc convicia fundit,
 12 aestus impatiens gravis.
 13 Sic, sic praetereunt tempora, nec manet
 14 quidquam. Sic fugiens cuncta rapit dies.
 15 Sic caelo placet. Haec sunt
 16 anni jura volubilis.
 17 At quantum fuerat, quantum erat, obsecro,
 18 largiri miserae turbae hominum deos
 19 solo vere suavi
 20 uti posse perenniter ?
 21 Sic certe Elysiis vivitur in locis,
 22 uno perpetuo vere ubi perfruens
 23 felix turba piorum
 24 non soles capiti graves,
 25 non dirae segetem grandinis et nivis,
 26 non horret Boream, nec rabidos Notos,
 27 nec tristes Aquilones,
 28 uno flante Favonio.

ODE III. AD AEGIDIUM BUSLIDIUM, JUNIOREM,

O_3 v.1 Pars o meorum magna sodalium,
 2 quos vel dederunt tempora, vel dabunt,
 3 quando illa, illa dies erit,
 4 qua tecum socia urbe,
 5 amice, longos saepe teram dies ?
 6 Cernamque Musae delicias tuae,
 7 quae dictat tibi tinnulo
 8 suaves carmine voces ?
 9 Cernamque quas vel Parrhasius tulit,
 10 Scopasve, quarum dives es artium,
 11 solers aut hominem, aut deum

12 sculpto ponere saxo ?
 13 Vitamque falsam rite coloribus
 14 praestare mixtis ? Et facili manu
 15 tabellae sine corpore
 16 tenues indere formas ?
 17 Sperare de te nam libet haec mihi,
 18 et jam leonem judico ab unguibus.
 19 I, quo te vocitat tua
 20 virtus, i pede fausto,
 21 vecturus olim Buslidium genus
 22 ad alta caeli sidera nobile,
 23 quod sublimia vertice
 24 jam nunc nubila tangit.
 25 Nos interim, quando tua cernere
 26 sors ora coram non sinit invida,
 27 nobis effigiem tui
 28 mitti saepe rogamus.
 29 Transfusa formis ut mihi pluribus
 30 perstet sodalis mnemosynon mei,
 31 et vel cernere sic queam
 32 dilectum mihi vultum.
 33 Non est, quod illa paultrium imagine
 34 carere nolis (quam manus insolens
 35 fecit nostra, rudem nimis)
 36 praesertim reditura.
 37 At est, quod illa nolit imagine
 38 carere Janus, quae sibi melleum
 39 praesentabit amiculum,
 40 quocumque ille feratur.

ODE IV. AD AMICUM.

O_4 v.1 Ante Phoebeo cariturus igne est
 2 orbis, et Lunae gelidos meatus
 3 nesciet, linquentque tenebricosum
 4 sidera caelum :
 5 Cancer artabit spatium diei,
 6 porriget longas Capricornus horas
 7 lucis, et noctis breviora meta
 8 tempora ducet.
 9 Puppis ignotas teret unca terras,
 10 10 plaustra volventer liquidas per undas,
 11 11 piscis in silvis, aper in profundo
 12 12 pabula carpent :
 13 13 quam tui possim posuisse curam,
 14 14 sive, quod sum nunc, ero, sive manes
 15 15 inter obscuris habitabo regnis
 16 16 pallida forma.

ODE V. AD HADRIANUM GOESIIUM, ICTUM, UXOREM DUCTURUM.

O_5 v.1 Ergo, dulcis amicule,
 2 nobis tam cito te subtrahis, et vagis
 3 finem ponis amoribus ?

4 Et te sponte tua brachia mollibus
 5 subdens libera vinculis
 6 captivis hominum coetibus inseris ?
 7 Sortem servitii gravem, et
 8 passurus dominae sceptrum puellulae.
 9 Visurus tamen interim
 10 natos, legitimae praemia Cypridis,
 11 natos, certa levamina
 12 curarum, et socii pignora lectuli ;
 13 quos qui tollere negligit,
 14 dans infrugiferis semina vepribus,
 15 ignavus moritur senex,
 16 indignusque cui contigerit parens.
 17 Ergo, spernere si potes
 18 curas, maestitias, vincula, carcerem,
 19 dum castus tibi sit torus,
 20 et gignas aliquid, quod tibi succinat
 21 nomen dulce parentibus ;
 22 aula quodque tua lusitet, et patris
 23 observantibus atria
 24 monstret ora sui certa clientibus ;
 25 i, quo te impetus impotens,
 26 i, quo magnus Hymen te vocat, et potens
 27 dextra teligera Puer.
 28 At nos interea, quando relinquimur
 29 abs te, cum reliquis tamen,
 30 quos non ista tenent jura, sodalibus,
 31 donec canities abest,
 32 carpamus Veneris gaudia liberae.

ODE VI. CAROLO V. IMP. IN BELGICAM REDUCI.

O_6 v.1 O qui potenti, Carole, dextera,
 2 quod Turca dudum barbarus invidet,
 3 magni quod invidere reges,
 4 sceptrum tenes potioris orbis !
 5 Quis te Deorum, maxime Caesarum,
 6 his post tot annos reddidit urbibus ?
 7 Caeloque natali, sacrisque,
 8 quae puerum tenuere, cunis ?
 9 Jam jam sepultae fletibus, et nigro
 10 luctu, serena est reddita patriae
 11 vultu tuo lux, et videntur
 12 ire dies meliore sole.
 13 Implumis ut cum turba relinquitur,
 14 deserta nido, mater ubi est procul,
 15 escamque natis fida quaerit,
 16 longius et solito moratur.
 17 Exspectat usque, et usque querens, querens,
 18 intenta servans lumina perpetim
 19 circumjacentes aut in agros,
 20 aut latera in spatiosa silvae :
 21 desideratum sic nimium diu
 22 suum vocavit Belgica Caesarem.
 23 Hunc illa votis, hunc poposcit

24 thure deos, precibusque sanctis.
 25 Hic ille namque est, numine cujus, et
 26 pacata tuti per maris aequora
 27 nautae feruntur, datque terris
 28 semina fertilibus colonus
 29 securus, et jam non timet, usibus
 30 ne seminarit militis impii :
 31 per quem per agros tutus it bos ;
 32 picta pecus terit arva tutum.
 33 Hic Caesar ille est, qui regionibus
 34 exterminabit omne nefas suis ;
 35 atque exsules terra Sorores
 36 sideribus revocabit altis.

ODE VII. AD NICOLAUM BUSLIDIUM.

O_7 v.1 Thrax movit olim carmine tigrides,
 2 silvasque vates traxit, et impetum
 3 pronae reverti jussit undae,
 4 vocis ad arbitrium canorae.
 5 Idemque regem carmine lugubri,
 6 cui regna nullis cognita solibus
 7 cessere, pallentesque turbae,
 8 perculit in sua vota mitem.
 9 Regina chordis victa potentibus
 10 tepente lavit lumina gurgite :
 11 crudelium malae Sororum
 12 insolito maduere fletu.
 13 Consensit unis regia vocibus,
 14 blandi maritam praemia carminis
 15 ut per vias nulli remensas
 16 tristibus eripiat tenebris.
 17 Sed dona divis irrita legibus
 18 fallax tyrannus fecit, et, o nefas !
 19 Fatalibus respectam ocellis
 20 retulit in loca fusca praedam.
 21 Tunc ille longum munere subdoli
 22 frustratus Orci per Tanai nives,
 23 heu, perque Rhipaeas pruinas
 24 ingemuit gelidis sub antris.
 25 At tu, nigrantis si prece Tartari
 26 pro mollicella sollicites hera
 27 illacrimabilem cohortem,
 28 mobilibus digitisque pulses
 29 blandas fides testudinis aureae :
 30 non strictus ullis condicionibus,
 31 victor beatus ad supernas
 32 cum domina reveharis auras.

ODE VIII. DE AMORIBUS FRANCISCI CATSII.

O_8 v.1 Francisci teneris digna caloribus
 2 Isabella, meae proxima Juliae,
 3 quocumque orbe moraris,

4 fido in pectore stas tamen ;
 5 e quo nec rapiet te rota temporum,
 6 nec diversa tuis tot loca moenibus.
 7 Heu, quantum tamen hinc est
 8 inter Lovanium soli ?
 9 Haerent luminibus lumina mollia,
 10 arguta, et tacitis subdola nutibus,
 11 haerent atque revinctum,
 12 quem cepere semel, tenent.
 13 Haerent auriculis verba sonantia,
 14 quae possunt superos flectere, quae deum
 15 qui servat loca taetra,
 16 nulli pervia lumini ;
 17 ad quae cum tenuem efflatus in aera
 18 Francisci gelidus spiritus iverit,
 19 una voce suavi
 20 dilectae dominae suae,
 21 quam terrae tumulis obrutus audiet,
 22 quam tota excipiet regia nigricans,
 23 uno murmure dulci
 24 in vitam revocabitur.
 25 O felix facibus forma potentibus !
 26 Fas florere meis te quoque versibus,
 27 dum fletus puer ales,
 28 et suspiria nesciet.

ODE IX. AD PETRUM BAUSANUM.

O_9 v.1 Quisquis serena mente potest suos
 2 inter sodales vivere leniter,
 3 qui mente conjunguntur una,
 4 et studiis rapiuntur iisdem,
 5 illum beatis respicit ignibus
 6 distincta caeli regia mobilis ;
 7 et sortis expertem malignae
 8 collocat in medio deorum.
 9 Non livor illum pallidus occupat,
 10 non cura firmum versat et huc et huc,
 11 nec sperat usque laetiolem,
 12 sidere sub meliore, vitam.
 13 Seu vivat illic, qua freta perpetim
 14 adstricta canis stant Aquilonibus,
 15 seu qua nigros usti propinquo
 16 sole trahunt, populi colores.
 17 Sic, Petre, Musas inter amabiles,
 18 interque junctas brachia Gratias,
 19 risus, jocos, lusus, amores,
 20 exsilium patriae feramus.

ODE X. AD AMOREM.

O_10 v.1 Ergone vitae quod superest meae
 2 suspiriosis liber amoribus
 3 degam ? Nec in venis calebit

4 ille meis Deus, ut solebat ?
 5 Jam jam remissi paenitet otii,
 6 jam jam proterva spicula dextera
 7 in pectus hoc, inerme pectus,
 8 sparge, Puer, resonante nervo.
 9 Vivamque rixas inter et oscula,
 10 interque risus et lacrimas graves,
 11 spemque et metum, vitam necemque,
 12 tempora floridulae juventae.

ODE XI. IN CHOREAS AB SE SPECTATAS.

O_11 v.1 Curru Diones vectus eburneo
 2 vidi modo hic, jam nescio quo loco,
 3 calente cursitare mixtas
 4 cum juvenum serie puellas.
 5 Una inter omnes florida virgines,
 6 terram tenello sollicitans pede,
 7 versabat in gyrum sequaces
 8 secum oculos animosque turbae.
 9 Ut rubra puro lacte natans rosa,
 10 serpebat albas purpura per genas ;
 11 frons crine flavo fulgurabat,
 12 fulvo ut ebur variatur auro.
 13 Sic illa, membris laeta volantibus,
 14 producta cari nunc juvenis manu
 15 circum ibat, intactamque sensim
 16 nabat humum trepidante planta.
 17 Nunc sola, gratis libera nexibus,
 18 errabat huc vibrans oculos et huc,
 19 lusuque mobilis protervo
 20 huncque petebat, et hunc et illum.
 21 "Beata, dixi, terra ! Vel hos pedes
 22 tu bruta senti, vel mihi fac locum,
 23 seque illa per pectusque nostrum,
 24 per faciemque, oculosque volvat."

ODE XII. AD DEUM OPT. MAX. CUM TUMULTUARENTUR ANABAPTISTAE.

O_12 v.1 Conditor terrae undivagique ponti,
 2 aetherisque alti, tibi magnus aether
 3 concinit laudes, tibi vasta tellus,
 4 et maris undae.
 5 Quippe cum verno redeunte sole
 6 induit frondes nemus et Favoni
 7 suscitatur flores genitalis aura
 8 suaveolentes,
 9 cuncta te immensum dominum fatentur,
 10 sive frondosis aqua saepta ripis
 11 limpidi fontis referat figuram,
 12 sive lapillis
 13 pugnet insultans tenui susurro,
 14 sive per silvas Zephyrus sonoras
 15 concitat frondes, volucresve cantu

16 aethera mulcent ;
 17 sive oves centum et totidem capellae
 18 roscidam pascant niveae per herbam,
 19 frigerans qua fons scatet, et propinquos
 20 irrigat hortos.
 21 Quid maris dicam varios recessus ?
 22 Et quid accessus ? Pelagique monstra ?
 23 Quid globum lunae varium ? Aureique
 24 lumina Phoebi ?
 25 Totque diversorum animantium ora ?
 26 Totque deversas hominum figuras ?
 27 Tot salutare frutices et herbas ?
 28 Totque nocentes ?
 29 Arborum et fetus varios colore ?
 30 Nec minus dulci varios sapore ?
 31 Quaeque in aprico trahit uva suavem
 32 colle ruborem ;
 33 unde jucundus liquor ille Bacchi
 34 manat adflictis animis levamen,
 35 vinciens aegrorum hominum suavi
 36 pectora vinclo ?
 37 Te, Deum, cunctorum operum parentem,
 38 cuncta consensu tacito salutant,
 39 magne sol, pulchrique anima alma mundi,
 40 te veneratur
 41 Arctos, aeterna glacie stupescens,
 42 imbrisque et fulmine fetus Auster,
 43 quaeque surgentem videt ora solem,
 44 quaeque cadentem.
 45 Huc ades, Rex o hominum et deorum,
 46 si tuas sancte celebramus aras,
 47 et tibi gratos humili Camena
 48 dicimus hymnos.
 49 Bellaque et sectas hominum nefandas,
 50 et mali quidquid vitiis meremur,
 51 pelle de nostris laribus focusque ;
 52 praecipue illos,
 53 qui, novae sub religionis umbra,
 54 caede grassantur, populantur urbes,
 55 et tuae genti excidium minantur,
 56 dira frementes.
 57 Frange conatus populi furentis ;
 58 publicorum ausus cohibe latronum,
 59 et tuam nobis placidam misertus
 60 redde quietem.
